

Nuncita Clodiæ expugnatione ( quod circiter medium noctem cognitum est , quum ea sub solis occasum hostis potitus esset ) tantus terror curiam invasit , ut ubi primum illuxit , subito sit ad arma conclamatum . Quo signo consternata civitas cum armis in forum accurrit . Compleverat multitudo civium quicquid areae ante curiam & auream ædem jacet . Tum jussu Patrum nunciatum populo , Clodiā cum præsidio amissam . Ad quam vocem tantus fletus coortus dicitur , tanta lamentatio , ut , capta urbe , major oriri non potuisset . Vidisses tum matronas per urbem præ nimio dolore dejectas , nunc manus ad cœlum tendere , nunc pugnis pectora pulsare . Viri invicem publicam lamentari fortunam : actum esse de Republica , actum de Imperio dicere . Dolere omnes privatam fortunam , sed libertatis periculum imprimis animos versare . Credere vulgo , Genuensem victorem paulo post affuturum , qui , everso imperio , Venetum quoque nomen evertet . Quisque pro se perditis rebus , privatæ fortunæ consulere : aurum , gemmas , argentum , vestes , omnemque preciosam supellecilem aut ad hospites in suburbana loca mittere , aut in sacris ædibus antiquisve monumentis condere : omnia luctus & pavoris erant plena . Crediderunt multi , si in ea trepidatione hostium classis fuisset ad urbem admota ( quod ut Genuenses facerent , Carrarius Princeps identidem , capta Clodia , monuisset ) aut urbem eo die capi , aut certe in summum discrimen adduci potuisse . Sed non omnia hominibus Superi dedere . Multi reperti sunt , qui norunt vincere , sed victoria uti nesciverunt . Præsidium quod ad Medoacum fuit , aquata solo munitione , navibus abductis , Venetas trepide revocatur . Cæterum dolere vulgo omnes , neminem esse qui fractos civitatis spiritus præsenti consilio hortationeve aliqua erigeret ; quem etiam ob pristina decora populus suspiceret , cuperetque ducem in tanto discrimine habere : deploratum esse imperium dicere , deploratam omnium salutem , nisi aliquis existeret qui afflictis patriæ rebus subveniret . Unum Pisanum esse in tota urbe , qui præterquam quod omnibus

1379  
Expugna-  
tionis illius  
nuncius in-  
gentem ci-  
vitati attu-  
lit terro-  
rem .